

finum Facultat. Theologicae solenniter & honorificè receperat ) X. Januarii Anno M. DC. LX. pro tempore illo Academiae Rector, ad eundem exequias desideratissimi hujus Viri, publicavit. Probat autem in dicto, quod famigeratissimus hicce Theologus natus sit Argentorati anno superioris seculi XCVII. 13. Nov. quadrante post secundam Matutinam, Patre LAURENTIO DORSCHEO, Cive Argentorat. honestissimo, Matre MARIA filia prudentissima JOHAN. FINGERLING, Senatoris Argentinensis. Initiatus ab iis Christianismo, & domi suae pietatis, quaeque aliae aetatem teneram virtutes decent, tyrociniis imbutus anno currentis seculi IV. 2. Octobr. ad decimam s. infimam Argentoratensis Gymnasii Classem à Patre suo est deductus. Cum per decennium bonarum artium Linguarumque fundamenta in Gymnasio posuisset, dignissimus tandem judicatus est, qui ad subfelia altiora, Academica scilicet, publicasque lectiones promoveretur. Civis E. Academicus factus est Anno M. DC. XIV. 4. Octobr. Mox totus se studiis Philosophicis addixit, eo successu, ut anno subsequenti 22. Junii Decano LAURENTIO THOMA WALLISERO, Philosoph. Practic. Profess. prima Philosophiae Lauream ornaretur. Erat haec illi gloria Calcar ad promerendam Majorem, adeoque habitam ante Anno XVI. 28. Novembr. Metaphysicae Disputatione, *de DEO & Attributis*, Praeside D. DANIELE RIXINGERO, Eodem & Decano Laurea secunda, & Magisterii honores conferebantur, secundo loco inter competitores XVIII. ipsi jure assignato. Exin animum Theologiae mancipavit & ad pedes Excellentissimorum Gamalielum sedere coepit, non desidiosus; sed continuis praer Exercitamentis ad sacros conflictus, cum tot tantisque Adversariis olim instituendos, animum jam tum praeparavit, pluribusque disputationibus privatis, publicis, solennibus, jam Respondentem se, jam opponentem stitit. Anno XX. cum D. JOHANNE GISENIO Tubingam profectus est, ibidemque in Clarissimorum illic Theologorum LUC. OSIANDRI, THUMMII, familiaritatem sese insinuavit. Redux in patriam, coepto feliciter tramiti constans institit, variisque speciminibus, quantum futurus esset, jam tum probavit. Itaque Anno XXII. *Ecclesiae Ensisheimensi* in Agro Argentoratensi Pastor datus, Seminarii que Ecclesiastici pars haud intima factus est, non verò Ecclesiasticam functionem ab Academicis exercitiis retrahi se passus est: Anno enim XXIII. 16. Julii, à tunc temporis M. JOHANNE SMIDIO, Theologo Professore, delectus est Respondens, qui Disputationem ejus inauguralem tueretur, quali exercitio non nisi egregii